

Const. *Inter gravissimas* Urbani VIII., et concessit S. R. E. Cardinalibus facultatem transferendi solummodo medietatem pensionis vel pensionum quas possident.

Præterea ex speciali concessione Summi Pontificis solet competere etiam aliis, et præsertim Conclavistis facultas transferendi pensiones. At regula jugiter servatur Constitutionis *'Circumspecta'* ut nempe non ultra mediam partem pensionum translatio fiat. Et quidem si translatio facta fuerit ultra terminos in citata constitutione, vel in concessione indulti definitos, valet solummodo pro quantitate a Pontifice constituta. Conf. Card. De Luca *De Pensionibus Disc. 66.* et Ferrari *Biblioth. Canon. v. Pensio n. 82.*

23. Fieri autem potest translatio pensionis etiam in articulo mortis, ceu patet ex indultis quæ solent concedi. Quare relate ad pensiones non militat Regula Cancellariæ Apostolicæ *De infirmis intra 20 dies morientibus.*

24. Forma servanda in translatione est, ut fiat per actum Notarii coram persona aliqua in dignitate constituta, vel saltem coram canonico Cathedralis Ecclesiæ et testibus, et quidem pensionarius debet Notario exhibere indultum Pontificis, ex quo resultet facultas translationis faciendæ. Cardinales vero ab hac obligatione eximuntur, et valet translatio pensionis ab iisdem facta coram solo Notario et testibus. Monacelli in suo *formulario tom. 2. tit. 14. Form. VII.* exhibet formulam translationis. Cum vero tempore pestis difficile possit haberi copia personæ in dignitate constitutæ et Notarii, hinc Alexander VII. in Const. *'In supremo'* 18. *Sept. 1656.* decrevit ut, grassante peste, quilibet sacerdos sæcularis vel regularis in translatione pensionis supplere possit vices Notarii et sufficiant duo testes. Voluit vero ut testes tres esse debeant; si sacerdos, qui supplet vices Notarii sit ille idem, in quem pensio transfertur.

25. Quæritur: Quomodo pensiones sunt solvendæ?

Resp. Servanda est lex constituta in Litteris seu Bullis collationis pensionis. Hinc 1º. solutio fieri debet statis temporibus in Bulla designatis; 2º. integre est solvenda pensio absque compensatione onerum, quæ imponantur a publica auctoritate sive ecclesiastica sive civili. Edicitur enim in bulla, ut integra solvatur pensio. Regula hæc legitima est: nam ex una parte pensionarius non possidet beneficium; hinc oneribus beneficii nequit gravari, ex altera autem parte cum conceditur pensio, Superiori notæ sunt

beneficii vires, et detractio pensionis a beneficii fructibus ita fit ut consideratis etiam futuris probabilibus eventibus congrua, et sufficiens portio beneficiato remaneat.

26. Attamen, in pejus mutatis conditionibus Ecclesiæ in Italia præsertim quoad beneficia, alia regula adoptari cœpit. Postquam scilicet ob nova vectigalia valde imminuti sunt reditus beneficiorum, S. Sedes, rebus perpensis, decretum edidit die 28. *Jan. 1871.* per Congr. Episc. et Regularium quod incipit *Cum nuperrimis* in quo pro Italia statuitur 1º. ut amissio vel minutio reddituum in communi beneficiarios, et pensionarios afficiat, nullo facto discrimine inter ipsa beneficia et pensiones, ita ut minutis redditibus vel amissis, imminuantur pro rata, vel cessent pensiones. 2º. Pro Cathedralibus vero Ecclesiis idest pro mensis episcopalibus, et pro Ecclesiis parochialibus pensionum oneri subjectis integra semper servetur congrua ad formam Tridentini. Præterea declaratur 1º. ut quodvis dubium vel quæstio inter beneficiarios et pensionarios unice sit cognoscenda a Congreg. Episc. et Regularium nec non de bono et æquo dirimenda. 2º. Ut si clericus aliquis ordinatus titulo pensionis remaneat privatus partim, vel omnino sacro patrimonio ob executionem normæ in Decreto expressæ, nullam suspensionem incurrat nec pœnis ecclesiasticis sit obnoxius.

3º. Ut si ante decreti emanationem aliquæ pensiones vel in toto vel in parte solutæ fuerint in majori quantitate, quam ea quæ in Decreto constituitur, nullum jus ex eo oriatur ad easdem pensiones veluti indebitas repetendas, aut in ratas futuras suppundas.

27. Quoad hoc decretum adverte 1º. rationem ejus fundamentalem in eo esse positam ut verificetur notabilis seu gravis diminutio reddituum beneficii. Porro ut hæc rite computetur attendendus est status beneficii cum pensio collata fuit. Hinc si ob quascumque rationes vel circumstantias beneficium aliquod non fuerit passum hanc diminutionem norma decreti nequit a beneficiario contra pensionarium invocari, sed beneficiarius tenetur onera, seu taxas solvere. In facto habemus resolutionem Congregationis die 20. *Sept. et 28. Oct. 1878.* cum Capitulares Vaticanæ Basilicæ pensionariis in pensionibus solvendis vellent detrudere onera civilia proportionaliter. Quæstio proposita, et agitata fuit in Congregatione, rationibus utriusque partis expensis. Cumque Eminentissimus Archipresbyter retulisset beneficia Ecclesiæ ab

anno 1871 ad 1874 magnam passa fuisse imminutionem ob taxas civiles et hanc pro annis subsequentibus disparuisse, S. Congregatio ad dubium 'an pensionarii reintegrari debeant in damnis hactenus sibi illatis signanter per taxam *di ricchezza mobile del 13 e 1/2%* a Capitularibus retentum in casu', respondit: quoad annos a 1871 ad 1874 inclusive, *negative*: quoad posteriores *affirmative*.

28. 2°. Adverto: quando pensionarii recurrunt ad Congregationem si agatur de pensionibus impositis Ecclesiis parochialibus, S. Congregatio committere solet Curiis episcopalibus respectivis officium expendendi et aestimandi annuos redditus parœciæ, ut salva maneat, et incolumis congrua parochialis juxta Tridentinam regulam. Hoc posito quomodo hæc congrua computanda est? Principium traditum a Doctoribus, et a tribunalibus Ecclesiæ receptum exhibet hanc regulam 'ut illa sit certa, et determinata'; inservire enim debet honestæ Rectoris sustentationi: hinc adagium: venter pendere non debet ab incerto, venter enim dilationem non patitur.

29. Hoc posito certum est congruam ex redditibus certis parœciæ resultare debere. Quoad incerta emolumenta, alia habent fundamentum fixum quæque certa dici possunt generice seu quoad genericam perceptionem in singulis annis, quamvis incertum sit quid reapse percipiatur. Unde certa dicuntur quoad qualitatem non quoad quantitatem ex gr. decimæ præstatio prædialis in quarta vel quinta parte fructuum fundi. Ista emolumenta absque dubio sunt computanda. Alia non habent fundamentum fixum, et reale sed pendent vel ab eventibus possibilibus ex gr. funera, benedictiones etc. vel ab omnimoda fidelium liberalitate.

30. In genere autem a DD. ista emolumenta dicuntur incertum quoad qualitatem tum quoad quantitatem. Attamen agentes de congrua debita Vicario Curato qui actualem curam gerat vice et nomine corporis moralis juxta regulam traditam a S. Pio V. in Const. '*Ad exequendum*' distinguunt DD. emolumenta quæ ab absoluta fidelium liberalitate pendent, et quæ pendent a perceptione Sacramentorum et ex funeribus; prima nullimode computari possunt in congrua, altera vero aliquam certitudinem habent, nam ut notat De Luca *De Parochis Disc. 18. n. 12.* nequit populus non nasci, non mori, non baptizari, matrimonia non contrahere; hinc ista emolumenta, inspecta media quadam proportione annorum præcedentium, approximative determinari possunt, et in congrua sunt

computanda. V. Giraldi *p. 1. De potestate Parochi c. 2. n. 154.* De Luca *De Beneficiis Disc. 90. n. 72.* Hanc regulam in præsentia nostra materia sequitur S. Congr. Episc. et Reg.

31. Quæritur quomodo cessent pensiones.

1°. Quoad temporaneas, eo ipso quo persona provisa cessat a jure possessionis beneficii, cessat jus pensionarii. 2°. Quoad perpetuas hæc durant quoadusque pensionarius moriatur vel renuntiet tacite vel expresse juri suo, aut indignus habeatur a jure privilegio pensionis. Cessant ergo 1°. morte pensionarii; 2°. ejus renunciatione expressa; 3°. per ejusdem matrimonium: quamvis enim canonica legislatio minores conjugatos admittat quoad privilegia canonis, et fori, quoad reliqua, uti vidimus supra in tit. *De clericis conjugatis* illos comparat laicis; 4°. si pensionarius militiam voluntarie ingrediatur, et monitus non recedat, dixi voluntarie: requiritur enim in illo præsumpta voluntas renunciandi; 5°. si professionem religiosam emittat in aliquo ordine regulari ab Ecclesia approbato *c. 4. de Reg. in 6°.* Quid si emittat solum vota simplicia? Jure Decretalium non agnoscebatur nisi professio votorum solemnium, et aliquem fieri monachum idem erat ac religionem solemniter et in perpetuum profiteri. Hinc incompatibilitas inducta a jure antiquo inter facultatem possidendi pensionem et statum religiosum respicit religiosos emittentes vota solemnia. Revera Card. de Luca *De Reg. disc. 62. n. 12. et Adnot. ad Conc. Trid. disc. 13. n. 6.* tamquam de re certa loquitur et tradit alumnos societatis Jesu post simplicem professionem trium votorum, et ante professionem solemnem quarti voti posse pensiones retinere: a pari ergo in congregationibus regularibus ubi simplicia vota emittuntur, et in antiquis ordinibus religiosis post emissionem votorum simplicium religiosi poterant pensiones possidere. Hoc tamen doctrinaliter dictum sit: nam positivam resolutionem non habemus. 6°. Extinguitur pensio si clericus reus fiat criminis hæreseos, vel læsæ Majestatis, vel percussionis Cardinalium aut Episcoporum in quorum Diocesi pensio possidetur *c. 9. de hæret. et c. 5. de pœnis in 6°.* et *Clem. 1. de pœnis*; 7°. si clericus pensionarius obtineat beneficium pensione gravatum, et illud possideat; quia tunc omnes fructus percipit beneficii; 8°. si clericus promoveatur, et possideat Episcopatum residentialem nisi ex indulto speciali Rom. Pontificis facultatem obtineat retinendi pensiones. Hoc indultum si petatur concedi solet. Excipiendi sunt Episcopi Suburbicarii; ita S. Congr.

particularis deputata ab Alexandro VII. apud De Luca *De Pension. disc. 56. n. 10.* et Episcopi titulares De Luca *De Pension. Disc. 43. 58. et 75.*

32. Tandem animadvertimus pensionem nec vendi posse nec locari ad longum tempus. Ratio est, quia pensiones nihil aliud sunt quam portiones fructuum bonorum ecclesiasticorum quorum venditio et locatio ultra triennium absque beneplacito Apostolico vetita est a Paulo II. in Const. *'Ambitiosæ' inter Extrav. comm.* in tit. *De Rebus Ecclesiæ non alienandis.* Præterea præstat referre dispositionem Benedicti XIV. in Const. *'In sublimi' IV. Kal. Sept. 1741.* Scilicet cum aliqui clerici beneficium possidentes ea resignabant cum reservatione pensionis approbante Summo Pontifice, sed eodem tempore pactum privatum inibant extinguendi pensionem, mediantibus quibusdam anticipatis solutionibus; Benedictus hæc pacta tamquam injuriosa S. Sedi, et injusta, et vilia condamnât, et irritat; necnon irritat extinctiones pensionum annuarum per unam tantum simul anticipatam solutionem, jubetque hanc solutionem restitui, simulque tam resignantes quam resignatarios ad beneficium possidendum, et ad accipiendam pensionem inhabiles reddit.

TITULUS XIII.

De rebus Ecclesiæ alienandis vel non.

1. Alienatio, si stricto sensu sumatur, secumfert ideam transitus rei de uno in alium dominum. In sensu tituli nomine alienationis lata significatione accipitur ut scilicet exprimat actum, quo in alium transfertur dominium sive plenum, sive solummodo directum aut utile, aut etiam ususfructus, aut jus quoddam rerum Ecclesiæ; etiam jus hypothecæ, *c. 5. h. t.* Hinc nomine alienationis prohibita veniunt contractus ex quibus fieri pejor conditio posset Ecclesiæ, et induci posset amissio alicujus juris. Proinde sub hoc nomine veniunt donatio, venditio, permutatio, constitutio pignoris et hypothecæ concessio in feudum vel emphyteusim, transactio vel centio super rebus Ecclesiæ.

2. Ecclesiæ nomen pariter in sensu lato accipitur ita ut significet non solum locum, in quo cultus Deo præstatur sed quodcumque religiosum institutum, auctoritate ecclesiastica erectum, ad opera religionis vel charitatis destinatum. Hinc nomine Ecclesiæ

in sensu tituli veniunt hospitalia, xenodochia auctoritate Ecclesiæ erecta, Monasteria, Congregationes, et collegia ecclesiasticarum personarum.

3. Nomine rerum quæ sub rubrica tituli cadere possunt, veniunt res pretio æstimabiles. Excluduntur igitur res mere spirituales, prout sunt jura sacra, aut res, quæ ob religiosam indolem et naturam extra commercium positæ sunt et pretio non æstimabiles, quemadmodum sunt reliquiæ Sanctorum.

4. Quæ vero pretio æstimari possunt, et corporales seu temporales dicuntur 1^o. aliæ sunt immobiles aliæ mobiles vel se moventes. Nomine rerum immobilium veniunt prædia, fundi et jura vel servitutes reales, quæ fundis adhærent.

Res mobiles aliæ sunt quæ servando servari possunt, aliæ quæ servando servari non possunt, quæque scilicet ad modicum tempus, idest non ultratriennium solummodo possunt servari, et inde corrumpuntur ex. gr. fruges, et arborum fructus, aut res mobiles quæ usu consumuntur et non fructificant. Conf. Fagnan. in *c. 5. h. t. n. 23.* Insuper res mobiles aliæ sunt pretiosæ, aliæ vero non. Pretiosæ sunt quæ vel thesaurum Ecclesiæ constituunt, vel singularis splendoris, et ornamenti causa sunt pro eadem. Hinc quædam res dicuntur pretiosæ ob quantitatem vel qualitatem materiæ, ex qua constant ex. gr. lapides qui pretiosi dicuntur, notabilis quantitas seu pondus argenti vel auri. Quædam vero res dicuntur pretiosæ ob celebritatem operis et artificis famam ex. gr. elaborata incisio, pictura perillustris auctoris. Se moventes etiam possunt in pretiosas dividi et non pretiosas. Pretiosæ habentur quæ vel ex quantitate vel ex fructu quem ordinarie referunt, divitias Ecclesiæ constituunt. Sic ex. gr. dum ovis non est res pretiosa tamen grex totus est res pretiosa et magnum valorem præ se fert, et ex eo diuturnum emolumentum fructusque annuos percipere solet Ecclesia.

5. Si quærat utrum pecuniæ quantitas ceu res pretiosa haberi debeat vel non, respondendum est regulariter pecuniam non comprehendi sub censu rerum pretiosarum quia reposita nullum affert fructum. At si pecunia numerata sit in magna quantitate ac proinde considerari possit ceu thesauri pars notabilis designata pro rebus immobilibus comparandis, vel Ecclesia ædificanda aut reparanda, etiam ipsa pecunia inter res mobiles pretiosas adnumeratur *arg. l. 3. ff. de contraria tutela, vel utili actione.*